cati erit & plagarum modus: ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant. *Deut.* 25. 1

Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ, & dicet omnis populus: Amen. *Ibid.* 27. 19

Et ait Joſue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas. *Joſue* 7. 19

Factum eſt autem, cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos judices in Iſrael, &c. 1. *Reg.* 8. 1 Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus: ſed declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium, &c. Ib. v. 3.

Dixitque (*Samuel*) ad eos (*ſcilicet populum Iſrael*) Teſtis eſt Dominus adverſum vos, & teſtis Chriſtus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. *Ibid.* 12. 5

Conſtituitque (*rex Joſaphat*) judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis, per ſingula loca, & præcipiens judicibus, Videte ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. 2. *Paral.* 19. 5

In judicando eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis quam mater. *Eccl.* 4. 10

Judex ſapiens judicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit. Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus: & qualis rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea. *Ibid.* 10. 1. Prov. 28. 15

Uſquequo judicatis iniquitatem: & facies peccatorum ſumitis: judicate egeno & pupilio: humilem & pauperem juſtificate. *Pſal.* 81. 2

Accipere perſonam impii (*in judicio*) non eſt bonum, ut declines a veritate judicii. *Prov.* 18. 5. *Idem habetur verbatim.* Ib. v. 19. Cap. 24. 23. *Vide &* Iſa. 1. 23

Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, & Deus ſanctus ſanctificabitur in juſtitia. *Iſ.* 5. 16

Væ, qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt: ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſſæ humilium populi mei: ut eſſent viduæ præda eorum & pupillos diriperent. *Ibid.* 10. 1

Quia (*dicit Dominus populo Jeruſalem*) inventi ſunt in populo meo impii, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, ſic domus eorum plenæ dolo; ideo magnificati ſunt & ditati. Incraſſati ſunt & impinguati: & præterierunt ſermones meos peſſime. Cauſſam viduæ non judicaverunt, cauſſam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? aut ſuper gentem hujuſcemodi non ulciſcetur anima mea? *Jerem.* 5. 26

Parabolam hanc dixit Chriſtus. Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens, Vindica me de adverſario meo. Et nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe (*Judex*) Etſi Deum non timeo, nec hominem revereor: tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens ſugillet me. Ait autem Dominus. Audite, quid judex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. *Luc.* 18. 2

Pilatus autem convocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſſam invenio in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam, &c. *Ibid.* 23. 13. At illi inſtabant vocibus magis poſtulantes ut crucifigeretur, & invaleſcebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Ib. v. 23.

Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate. *Joan.* 7. 24

Vos ſecundum carnem judicatis (*ait Dominus*): ego non judico quemquam: & ſi judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me, Pater. *Ibid.* 8. 15

Etenim ſi introierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu ſta illic: aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne judicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum? *Jacob.* 2. 2

Judex univerſi mundi eſt Deus. Vide Deus.

Judex Eccleſiæ & Controverſiarum eſt Papa, & ſublegati ejus.

M*oyſes de omnibus religionis controverſiis Hebræo populo reſpondit: & licet alios minores judices ſtatuerit ſummam tamen poteſtatem ſibi reſervavit.* Exod. 18. 13

Jubet Deus ad ſummum ſacerdotem omnia referri, quæ in populo controvertebantur. Deut. 17. 9.

Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, &c. *Ibid. v.* 12. *Vide* Rom. 13. 2

Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno. His amplius, fili mi, ne requiras. *Eccleſ.* 12. 11

Interroga Sacerdotes legem, dicens. *Aggæi* 2. 12

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. *Malach.* 2. 7. 2. Paral. 19. 10

Joſaphat conſtituit ſacerdotes & Levitas in Jeruſalem, ut judicium & cauſſam Domini judicarent habitatoribus ejus. 2. *Paral.* 19. 8

Petro claves Eccleſiæ & Regni cælorum datæ ſunt & conſequenter ejus ſucceſſoribus. Matt. 16. 19. *Vide &* v. 18. *Item* Joannis 21. 17

Qui non audierit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *Ibid.* 18. 17. *Vide &* Cap. 23. 3.

Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. (*Ergo & ſucceſſorum.*) *Luc.* 22. 32

TITULUS XXXIII.

Juramentum.

Jurare quatenus liceat vel non liceat, & quam variis modis contingat jurare.

A*braham reſpondit regi Sodomorum*: Levo manum meam ad Dominum Deum meum excelſum, poſſeſſorem cæli & terræ. Quod a filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditavi Abraham. *Gen.* 14. 22

Jura ergo per Deum (*dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus ejus ad Abraham*,) ne noceas mihi, & poſteris meis, ſtirpique meæ: ſed juxta miſericordiam quam feci tibi, facies mihi, & terræ in qua verſatus es advena. Dixitque Abraham: Ego jurabo, &c. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abſtulerant ſervi ejus. *Ibid.* 21. 23. Cap. 24. 3

Vocavit autem Angelus Domini Abraham ſecundo de cælo, dicens: Per memetipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli. *Ibid.* 22. 15

Ille (*Eſau*) reſpondit (*Jacob fratri ſuo*) En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Eſau, & vendidit primogenita. *Ibid.* 25. 32

Et peregrinare in ea (*ſcilicet terra quam dixero tibi*) eroque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & ſemini tuo dabo univerſas regiones has, complens juramentum, quod ſpopondi Abraham patri tuo, &c. *Ibid.* 26. 3. Qui reſponderunt (*ſcilicet Abimelech & Ochozath amicus ejus & Phicol dux militum ad Iſaac*) Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos diximus: Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus, ut non facias nobis quidquam mali: ſicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet: ſed cum pace dimiſimus auctum benedictione Domini. Fecit ergo eis (*Iſaac*) convivium, & poſt cibum & potum, ſurgentes mane, juraverunt ſibi mutuo: dimiſitque eos Iſaac pacifice in locum ſuum. Ibid. v. 28.

Deus Abraham, & Deus Nachor, judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris ſui Iſaac: immolatiſque victimis in monte, vocavit fratres ſuos, ut ederent panem. *Ibid.* 31. 53

Exploratores eſtis (*ait Joſeph fratribus ſuis venientibus in Ægyptum pro emendis frumenti*) Jam nunc experimentum veſtri capiam: per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus. *Ibid.* 42. 14

Cui reſpondit Joſeph (*ſcilicet Jacob morituro, petenti ut condatur in ſepulcro patrum ſuorum, & non in Ægypto, ubi Joſeph erat princeps*) Ego faciam, quod juſſiſti. Et ille: Jura ergo, inquit mihi. Quo jurante adoravit Iſrael Deum converſus ad lectuli caput. *Ibid.* 47. 30. *Idem* cap. 50. 5. *habetur*.

Tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum: eo quod adjuraſſet filios Iſrael, dicens: Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum. *Exod.* 13. 19.

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra. *Ibid.* 20. 7.

Jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi ſui: ſuſcipietque Dominus juramentum & ille reddere non cogetur. *Ibid.* 22. 11

Omnia, quæ dixi vobis, cuſtodite. Et per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore veſtro. *Ibid.* 23. 13

Anima quæ juraverit, & protulerit labiis ſuis, ut vel male quid faceret, vel bene, & idipſum juramento & ſermone firmaverit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato, &c. *Lev.* 5. 4

Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus. *Ibid.* 19. 12

Agitur de voto ac juramento virorum, & quando puellarum & uxorum vota ſeu juramenta rata ſunt vel irrita. Num. 30

Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis. *Deut.* 6. 13 Cap. 7. 8

Dominum Deum tuum timebis, & ei ſolis ſervies: ipſi adhærebis, jurabiſque in nomine illius. *Deut.* 10. 20

Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei: detiſque mihi verum ſignum. *Joſue* 2. 22

Duobus autem viris, qui exploratores miſſi fuerant, dixit Joſue: Ingredimini domum mulieris meretricis (*ſcilicet Rahab*) & producite eam, & omnia quæ illius ſunt, ſicut illi juramento firmaſtis. *Ibid.* 6. 22

Fecitque Joſue cum eis (*id eſt Gabaonitis*) pacem, & inito fœdere pollicitus eſt quod non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis. *Ibid.* 9. 15

Ne poſtquam intraveritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ ſunt, juretis in nomine Deorum earum, & ſerviatis eis, & adoretis illos: ſed adhæreatis Domino Deo veſtro: quod feciſtis uſque in diem hanc. *Ibid.* 23. 7

Juraverunt quoque filii Iſrael in Maſpha, & dixerunt: Nullus noſtrum dabit filiis Benjamin de filiabus ſuis uxorem. *Judic.* 21. 1. Filias enim noſtras eis dare non poſſumus, conſtricti juramento & maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus ſuis uxorem filiis Benjamin. Ib. v. 18.

Et viri Iſrael ſociati ſunt ſibi (*Sauli*) in die illa: adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis. 1. *Reg.* 14. 24

Quare ergo peccas (*ait Jonathas Sauli*) in ſanguine innoxio, interficiens David, qui eſt abſque culpa? quod cum audiſſet Saul, placatus voce Jonathæ, juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur. *Ibid.* 19. 5. Cap. 24. 23. Cap. 25. 34

Pepigit Jonathas fœdus cum David in Domino, & juraverunt ambo. 1. *Reg.* 20. 3

Et juravit ei Saul (*ſcilicet Pythoniſſæ*) in Domino, dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. *Ibid.* 28. 10. Cap. 30. 15

Cumque veniſſet univerſa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die, juravit David, dicens: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtavero panem vel aliud quidquam. 2. *Reg.* 3. 35

Nunc igitur ſurge, & procede (*ait Joab David lugenti mortem filii Abſalon*) & alloquens ſatisfac ſervis tuis: Juro enim tibi per Dominum, quod ſi non exieris, ne unus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac: & pejus erit hoc tibi, quam omnia mala, quæ venerunt ſuper te, ab adoleſcentia tua uſque in præſens. *Ibid.* 19. 7. Cap. 21. 2. 18

Vade (*ait Nathan Bethſabee*) & ingredere ad regnum David, & dic ei: Nonne tu Domine, mi rex, juraſti mihi, ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo? Quare ergo regnat Adonias. 3. *Reg.* 1. 13. Vocate ad me Bethſabee. Quæ cum fuiſſet ingreſſa coram Rege, & ſtetiſſet ante eum, juravit Rex, & ait: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia, quia ſicut juravi tibi per Dominum Deum Iſrael, dicens: Salomon filius tuus regnabit poſt me: & ipſe ſedebit ſuper ſolium meum pro me: ſic faciam hodie. Ibid. v. 28. Et ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſrael. Ib. v. 34. Cap. 2. 8. & 23

Si peccaverit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod juramentum, quo teneatur adſtrictus, & venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cælo: & facies, & judicabis ſervos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput ejus, juſtificanſque juſtum, & retribuens ei ſecundum juſtitiam ſuam. *Ibid.* 8. 31. *Idem verbatim habetur*, 2. Paral. 6. 22

Hæc mihi faciant Dii (*dixit Jezabel contra Eliam Prophetam*) & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam ſicut animam unius ex illis. *Ibid.* 19. 2. Cap. 17. 2. 20. 10. 4. Reg. 2. 2

Juraveruntque Domino voce magna (*viri Iſrael*) in jubilo, & in clangore tubæ, & in ſonitu buccinarum, omnes qui erant in Juda cum execratione: in omni enim corde ſuo juraverunt, & in tota voluntate, quæſierunt eum, & invenerunt: præſtititque eis Dominus requiem per circuitum. 2. *Paral.* 15. 14. Cap. 36. 13

Surrexit ergo Eſdras, & adjuravit principes ſacerdotum & Levitarum, & omnem Iſrael, ut facerent ſecundum verbum hoc, & juraverunt. 2. *Eſdr.* 10. 5

Deſignantur qui fœdus initum ſignarant, qui pollicentur & jurant ſe ſervaturos univerſa Dei præcepta 2. *Eſdr.* 10

Vivit Deus, qui abſtulit judicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. *Job* 27. 2.

Qui jurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit (*ſcilicet habitabit in tabernaculo tuo Domine.*) *Pſal.* 14. 4

Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem a Domino & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo. *Pſalm.* 23. 4.

Rex vero lætabitur in Domino, laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua. *Pſal.* 62. 12

Diſpoſui teſtamentum electis meis: juravi David ſervo meo: uſque in æternum præparabo ſemen tuum. *Pſal.* 88. 4

Et iſti non cognoverunt vias meas: ut juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. *Pſal.* 94. 11. Ibid. 101. 9

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *Pſal.* 109. 4

Juravit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit: & quomodo mente tractavi, ſic eveniet: ut conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis jugum ejus, & onus illius ab humero (*illorum*) tolletur. *Iſai.* 14. 24. cap. 19. 18

In memetipſo juravi, egredietur de ore meo juſtitiæ verbum, & non revertetur: quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua. *Ibid.* 45. 23

Sicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui juravi, ne inducerem aquas Noe ultra ſupra terram: ſic juravi, ut non iraſcar tibi, & non increpem te. *Ibid.* 54. 9

Et jurabis (*Iſrael*) Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia: & benedicent eum Gentes, ipſumque laudabunt. *Jerem.* 4. 2. cap. 5. 2

Super quo (*ſcilicet idololatria tua & iniquitate*) propitius tibi eſſe potero? Filii tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non ſunt Dii: ſaturavi eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. *Ibid.* 5. 7. c. 44. 26

Si eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo: Vivit Dominus, ſicut docuerunt populum meum jurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei. *Ibid.* 12. 16

Quod ſi non audieritis verba hæc: in memetipſo juravi, dicit Dominus, quia in ſolitudinem erit domus hæc. *Ibid.* 22. 5

Juravit Dominus exercituum per animam ſuam: Quoniam replebo te hominibus quaſi brucho, & ſuper te celeuma cantabitur. *Ibid.* 51. 14

Si fornicaris tu Iſrael, non delinquat ſaltem Juda: & nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bathaven, neque juraveritis: Vivit Dominus. Quoniam ſicut vacca laſciviens declinavit Iſrael. *Oſee* 4. 15

Juravit Dominus Deus in anima ſua, dicit Dominus Deus exercituum: Deteſtor ego ſuperbiam Jacob, & domos ejus odi & tradam Civitatem (*ejus*) cum habitatoribus ſuis. *Amos* 6. 8. *Idem habetur* cap. 8. 7

Et extendam manum meam ſuper Judam, & ſuper omnes habitantes Jeruſalem: & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum ſacerdotibus: & eos qui adorant ſuper tecta militiam cæli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom. Et qui avertuntur de poſt tergum Domini, & qui non quæſierunt Dominum, nec inveſtigaverunt eum. *Soph.* 1. 4

Et juramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus. *Zach.* 8. 17

Nabuchodonoſor victo rege Medorum, cunctis regnis imperare cupiens, nuntios ad ea mittit, quibus abſque honore remiſſis, indignatus, jurat ſe id ulturum. Judith. 1. 1. Machab. 6. 23

Jurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. Nominatio vero Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis; quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim ſervus interrogatus aſſidue, a livore non minuitur: ſic omnis jurans & nominans, in toto a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet a domo illius plaga. Et ſi fruſtraverit (*juramentum*), delictum illius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulaverit, delinquit dupliciter: & ſi in vacuum juraverit, non juſtificabitur: replebitur enim retributione domus illius. *Eccli.* 23. 9. Indiſciplinatæ loquelæ non aſſueſcat os tuum: eſt enim illa verbum peccati. Ibid. v. 17

Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. *Matth.* 5. 33

Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum nihil eſt: qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti & cæci! Quid enim majus eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari nihil eſt: quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet. Cæci: Quid enim majus eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo: & qui jurat in cælo, jurat in throno Dei: & in eo qui ſedet ſuper eum. *Ibid.* 23. 16. Heb. cap. 6. 13

Homines enim per majorem ſui jurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem eſt juramentum. *Hebr.* 6. 16

Apoſtolus Paulus multoties legitur juraſſe in ſuis Epiſtolis: ſic enim ait: In Epiſtola ſua. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quod non mentior.

2. Cor. 11. 31. Ecce coram Deo quia non mentior. Et ad Gal. 1. 20. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio. *Item* Rom. 1. 9. Ego autem Teſtem Deum invoco in animam meam; &c. *Item* 2. Cor. 1. 23

Jurandum non eſt temere, nec per cælum, nec per terram, nec per aliquid quod in eis eſt.

EGo autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt magni regis: neque per caput tuum juraveris, qui non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt. *Matth.* 5. 34

Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt: non, non: ut non ſub judicio decidatis. *Jacob.* 5. 12

Juramentum etiam hoſti factum, non frangendum.

JUramentum Gabaonitis, etiam infidelibus & fraudolentis factum Joſue non violavit, ſed vita ſalva ad altaris miniſterium eos adſtrinxit. Joſue 9. 16. *&c.*

Saul, quia iiſdem Gabaonitis, quibus juraverant filii Iſrael jusjurandum violavit, omnis ejus familia, excepto Miphiboſeth, ſuſpenſa eſt ſub rege David, quando ob eam perfidiam fames triennis immiſſa fuit ſuper terram. 2. *Reg.* 21. 1

Sedecias Nabuchodonoſori Ethnico juramentum dederat, ſe in ipſius dominatione permanſurum. Sed ubi juramentum fregit, a Nabuchodonoſore defecit, & ad Ægypti regem transfugit, vaſtatum eſt ejus regnum, direpta urbs ſancta, & ipſe cum filiis interiit. Jere. 37. *&* 39

Juramenta & vota impia non implenda.

LAudatur David, quod ad preces Abigail non occiderit Nabal maritum ejus, ſicut in iracundia ſe facturum juraverat. 1. *Reg.* 25. 39

Peccavit Saul temere & inconſulto vovendo, neminem, qui ſecum erant, aliquid guſtare debere, niſi prius confeciſſet omnes ſuos hoſtes. 1. *Reg.* 14. 12 *Vide reliquum capitis.*

Jephte pugnaturus contra filios Ammon, votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit --- eum holocauſtum offeram Domino. *Unde poſtea filiam, quæ prima ei occurrit, immolavit. Sed tale votum non erat licitum, multo minus adimpletio voti. Judic.* 11. 30. *&c.*

Impium & crudele votum fecerunt Judæi illi, qui accedentes ad principes ſacerdotum, dixerunt ſe, Neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. *Actor.* 43. 12

Jurgium. Vide Contentio.

TITULUS XXXIV.

Juſtitia & Æquitas.

Juſti veri in hac vita.

ERant autem juſti ambo ante Deum (*loquitur de Zacharia, & Eliſabeth, uxore illius*) incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela, &c. *Luc.* 1. 6. *Pſal.* 119. 4. 1. Reg. 14. 8. 2. Reg. 23. 25

Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia. *Ibid.* 15. 7

Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. *Joan.* 8. 36. Epheſ. 1. 4

Et pro eis ego ſanctifico meipſum: ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate. *Ibid.* 17. 19

Et hæc quidam fuiſtis (*ſcilicet fornicarii, indolis ſervientes, adulteri, &c.*) ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. 1. *Cor.* 6. 11

Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Jeruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum, & teſtamenti novi Mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel. *Hebr.* 12. 22

Et juſtum Loth oppreſſum a nefandorum injuria aut luxurioſa converſatione eripuit (*ſcilicet Deus*). Aſpectu enim & auditu juſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant. 2. *Pet.* 2. 7

Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & ſimus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. 2. *Joan.* 3. 1. Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat, &c. Ibid. v. 7. cap. 2. 5

Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt. *Apoc.* 3. 4

Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quo-

cumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, & in ore eorum non eſt inventum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14. 4

Juſtitia ſumma perfectio non habetur in hac vita, in qua ſine peccato non vivimus.

VIdens autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore. Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra. *Gen.* 6. 5

Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines (*ait Dominus ad Noe*): ſenſus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, ſicut feci. *Ibid.* 8. 21

Qui cuſtodis miſericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata, nullusque apud te per ſe innocens eſt. *Exod.* 34. 7

Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens, qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. *Num.* 14. 18

Ait Salomon Domino: Quod ſi peccaverint tibi (*filii Iſrael*) (non eſt enim homo, qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, & egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captivitatis, &c. 3. *Reg.* 8. 46. *Idem* 2. Paral. 6. 36

Numquid homo, Dei comparatione juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? *Job.* 4. 17

Vere ſcio (*ait Job*) quod ita ſit (*ſcilicet qui oderunt Dominum, induentur confuſione*) & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo. *Ibid.* 9. 2. Qui etiam ſi habuero quippiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor. v. 15. Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit. v. 20

Numquid juſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce Luna etiam non ſplendet: & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus; quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? *Ib.* 25. 4

Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominales facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. *Pſal.* 13. 1. *Idem habetur* Pſal. 52. 1

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea. *Pſal.* 50. 7

Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? *Ibid.* 129. 3

Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Ibid.* 142. 2

Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato? *Prov.* 20. 9. Sap. 12. 10

Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. *Eccleſ.* 7. 21

A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. *Iſa.* 64. 4

Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum & amarum, eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum (*ſcilicet Iſrael & Juda*). Jere. 2. 19

Tecum ego ſum, ait Dominus, ut ſalvem te: faciam enim conſummationem in cunctis Gentibus, in quibus diſperſi te: te autem non faciam in conſummationem: ſed caſtigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius (*ait Dominus filiis Iſrael & Juda*) &c. *Ibid.* 30. 11

Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur. *Mich.* 7. 23. Nahum. 1. 3

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Matt.* 6. 12. c. 15. 19

Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. *Luc.* 17. 3. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Ibid. v. 10

Quid ergo? præcellimus eos? (*ſcilicet Judæos*) Nequaquam. Cauſſati enim ſumus, Judæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Quia non eſt juſtus quiſquam: non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. *Rom.* 3. 9. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Ibid. v. 23. Epheſ. 2. 3

Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus. *Galat.* 3. 22

Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 1. Joan. 1. 8

Juſti bene ordinantur erga Deum.

ET tenebit juſtus viam ſuam. Job 17. 9

Juſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram. *Ibid.* 27. 6

Lex Dei ejus in corde ipſius. *Pſal.* 36. 31

Paratum cor ejus ſperare in Domino. *Ibid.* 111. 8

Simplicitas juſtorum diriget eos: & ſupplantatio perverſorum vaſtabit illos. *Prov.* 11. 3

Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit juſtus, & exaltabitur. *Ibid.* 18. 10

Sunt

Sunt juſti atque ſapientes: & opera eorum in manu Dei. *Eccleſ.* 9. 1

Et vir ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium & juſtitiam: in montibus non comederit, & oculos ſuos non levaverit ad idola domus Iſrael: & uxorem proximi ſui non violaverit, & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit: & hominem non contriſtaverit: pignus debitori reddiderit: per vim nihil rapuerit: panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento: ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit: ab iniquitate averterit manum ſuam, & judicium verum fecerit inter virum & virum: in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea cuſtodierit, ut faciat veritatem: hic juſtus eſt, vita vivet, ait Dominus Deus. *Ezech.* 18. 5

Si ſcitis, quoniam juſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt. 1. *Joan.* 2. 29

Erga proximum in verbo.

D*Ixit Jacob ad Laban:* Reſpondebitque mihi cras juſtitia mea. *Gen.* 30. 33

Os juſti meditabitur ſapientiam: & lingua ejus loquetur judicium. *Pſal.* 37. 30

Vena vitæ, os juſti: & impiorum operit iniquitatem. *Prov.* 10. 11

Argentum electum lingua juſti --- Labia juſti erudiunt plurimos. *Ibid.* v. 20

Os juſti parturiet ſapientiam. *Ibid.* v. 31

Juſtus, prior eſt accuſator ſui. *Ibid.* 18. 17

Opere.

A*Braham volens ſeparari a Loth nepote ſuo dedit ei optionem, ut eligeret partem, quam vellet: & ſic pulcre poterit partitio fieri, ut maior dividat, & minor eligat.* Gen. 13. 9

Teſtimonio Domini juſtam rem poſtulaverant filiæ Salphaad, quæ in hereditate paterna ſuccedere a Moyſe petierunt. Num. 27. 4

Conſtituit David, & quaſi pro lege habitum eſt, ut æqua eſſet pars deſcendentis ad prælia, & remanentis ad ſarcinas. 1. Reg. 30. 24

Audiens hædum Tobias, dixit: Videte ne forte furtivus ſit: reddite eum Dominis ſuis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. *Tob.* 2. 21

Opus juſti ad vitam: fructus autem impii ad peccatum. *Prov.* 10. 16

Cogitationes juſtorum, judicia. *Ibid.* 12. 5

Noli eſſe juſtus multum: neque plus ſapias, quam neceſſe eſt. *Eccleſ.* 7. 17

Plene remunerantur: Quantum ad ſe, contra.

R*Ex Adonibeſec comprehenſus a filiis Iſrael, dixit*: Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Judic. 1. 7

Adducto Agag rege Amalech coram Samuele: ei Ait Samuel, Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua. 1. *Reg.* 15. 33

Dixit David ad Saul, qui eum injuſte perſequebatur: Dominus autem retribuet uniucuique ſecundum juſtitiam ſuam. *Ibid.* 26. 23

David noluit accipere gratis ab Arauna Jebuſæo *arcam, quam habere volebat, ſed juſto pretio mediante.* 2. Reg. 24. 24

Præcepto regis Aſſueri ſuperbus & iniquus Aman ſuſpenſus eſt in illo eodem patibulo, quod ipſe paraverat Mardochæo, & hoſtes Judæorum *eodem die ab ipſis* Judæis *occiſi ſunt, quo* Judæos *illi occidere putaverunt.* Eſther c. 7. & 8

Et retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. *Pſal.* 17. 21

Multæ tribulationes juſtorum: (*&*) Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum. *Ibid.* 33. 20

Juſtus ut palma florebit: ſicut cedrus Libani multiplicabitur. *Pſal.* 91. 13

Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia. Lætamini juſti in Domino: & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus. *Ibid.* 96. 11

Juſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem. *Prov.* 4. 18

Benedictio Domini ſuper caput juſti, &c. *Ibid.* 10. 6

Deſiderium ſuum juſtis dabitur, &c. *Ibid.* v. 24

Juſtitia rectorum liberabit eos, &c. *Prov.* 11. 6

Juſtus de anguſtia liberatus eſt: & tradetur impius pro eo. *Ibid.* v. 8

Fructus juſti lignum vitæ. *Ibid.* v. 30. & v. 5

Non contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit, &c. *Prov.* 12. 21

Juſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, &c. *Sap.* 3. 1

Juſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Sap.* 4. 7

Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. *Sap.* 5. 1. &c.

Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: quoniam dextera ſua teget eos. *Ibid.* v. 16

Di-

Dicite juſto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet, &c. *Iſa.* 3. 10

Contra Babylonem prophetans Jeremias ait: Reddite ei ſecundum opus ſuum, juxta omnia, quæ fecit, facite illi. *Jerem.* 50. 29

Juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum. *Ezech.* 18. 20

Jubente Dario rege, viri, qui accuſaverant Danielem, miſſi ſunt in lacum leonum, & non pervenerunt uſque ad pavimentum, donec eos arriperent leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt. Dan. c. 6. & 14.

Fecit populus duobus presbyteris ſenibus, qui inique accuſaverant Suſannam, ſicut male egerant adverſus proximum --- & interfecerunt eos. *Ibid.* 13. 61

In eodem loco, in quo Andronicus injuſte occiderat Oniam ſummum ſacerdotem, fecit eum vita privari, purpura prius exutum, Antiochus. 2. Mach. 4. v. 34. & 38

Impius Jaſon qui inſepultos multos abjecerat, ipſe & illamentatus, & inſepultus abjicitur, *nec propriam, nec peregrinam habuit ſepulturam.* Ibid. 5. 10

Antiochus homicida & blaſphemus peſſime percuſſus, & ut ipſe alios tractaverat, peregre in montibus miſerabili obitu vita functus eſt. *Ibid.* 8. 28

Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. *Matt.* 13. 45. Dan. 12. 3

A ſervo nequam, qui noluit dimittere conſervo ſuo centum denarios, merito repetiit Dominus univerſum debitum, quod liberaliter prius dimiſerat illi. Matth. 18. 34

Juſti autem (*ibunt*) in vitam æternam, &c. *Ibid.* 25. 46

Prolem.

JUnior fui, etenim ſenui: & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.

Tota die miſeretur & commodat: & ſemen illius in benedictione erit, &c. *Pſal.* 36. 25

Semen autem juſtorum ſalvabitur. *Prov.* 11. 21

Deſiderium juſtorum omne bonum eſt, &c. *Ibid.* v. 23

Juſtus, qui ambulat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe filios derelinquet. *Ibid.* 20. 7

Sed illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt. Cum ſemine eorum permanent bona: hereditas ſancta nepotes eorum, &c. *Eccli.* 44. 10

Famam.

IN memoria æterna erit juſtus. *Pſal.* 111. 7

Memoria juſti cum laudibus: & nomen impiorum putreſcet. *Prov.* 10. 7

Et nomen eorum vivit in generationem & in generationem. *Eccli.* 44. 14

Et nomen eorum permanet in æternum, permanens ad filios illorum, ſanctorum virorum gloria. *Ibid.* 46. 15

Subſtantiam temporalem.

SI declinavit greſſus meus de via, & ſi ſecutum eſt oculos meos cor meum, & ſi in manibus meis adhæſit macula: ſeram & alius comedat, & progenies mea eradicetur. *Job.* 31. 7

Juſti autem hereditabunt terram. *Pſal.* 36. 29

Qui enim recti ſunt, habitabunt in terra, & ſimplices permanebunt in ea. Impii vero de terra perdentur: & qui inique agunt, auferentur ex ea. *Prov.* 2. 21

Egeſtas a Domino in domo impii: habitacula autem juſtorum benedicentur. *Ibid.* 3. 33

Non affliget Dominus fame animam juſti: & inſidias impiorum ſubvertet. *Prov.* 10. 3. *Vide* verſ. 2

Domus impiorum delebitur: tabernacula vero juſtorum germinabunt. *Ibid.* 14. 11

Domus juſti plurima fortitudo, &c. *Ibid.* 15. 6

Sunt juſti, quibus (*multa*) mala proveniunt, quaſi opera egerint impiorum; & ſunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant. *Eccleſ.* 8. 14

Juſtos mali abominantur.

COnſiderat peccator juſtum. *Pſal.* 36. 32

Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo juſti: neque vaſtes requiem ejus. *Prov.* 24. 15

Abominantur juſti virum impium: & abominantur impii eos, qui in recta ſunt via. *Ibid.* 29. 27

Circumveniamus ergo juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. *Sap.* 2. 12. Gravis eſt in nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ ejus. v. 15

Juſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat: a facie enim malitiæ collectus eſt juſtus. Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo qui ambulavit in directione ſua. *Iſa.* 57. 1

Juſti an ſimus non certe ſcire poſſumus, nec de ſalute æterna certi eſſe.

SI juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit. Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, &c. *Job.* 9. 20

Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti, &c. *Ibid.* v. 28

Quid enim faciam, cum ſurrexerit ad judicandum Deus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi? *Ibid.* 31. 14

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. *Pſal.* 18. 13

Quis

Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum? purus ſum a peccato? *Prov.* 20. 9

Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus. *Prov.* 28. 14

Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta. *Eccleſ.* 9. 1

De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. *Eccli.* 5. 5

Forſi an ignoſcet (*Deus*) delictis tuis. *Dan.* 4. 24

Pœnitentiam itaque age, &c. ſi forte remittatur tibi. *Actor.* 8. 22

Propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. *Rom.* 11. 20. 1. Cor. 10. 12. Hebr. 4. 1

Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque me ipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt. *1. Cor.* 4. 3.

Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. *Philip.* 2. 12

In timore incolatus veſtri tempore converſamini. *1. Petr.* 1. 17. Hebr. 3. 14

TITULUS XXXV.

Juſtificatio.

Juſtitia noſtra eſt per Chriſtum, & primam juſtificationem, & peccatorum remiſſionem nulla bona merita præcedunt.

CRedidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. *Gen.* 15. 6

In Domino juſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael. *Iſa.* 45. 26

De anguſtia, & de judicio ſublatus eſt: generationem ejus quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viventium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum. *Ibid.* 53. 8

In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter. *Jere.* 23. 6. *Idem verbatim.* Cap. 33. 16

Ecce, qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo: juſtus autem in fide ſua vivet. *Habac.* 2. 4

Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. *Zach.* 9. 11

Huic (*Chriſto*) omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum. *Actor.* 10. 43

In hoc (*ſcilicet Chriſto*) omnis, qui credit, juſtificatur. *Ibid.* 13. 39

Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit. *Rom.* 1. 17

Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio. *Ibid.* 3. 22. Juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. v. 24. *Vide &* v. 20

Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Criſtum. *Ibid.* 5. 1. *Vide &* v. 18

Finis enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti. *Ibid.* 10. 4. corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. v. 10

Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. *1. Cor.* 1. 30

Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro. *Galat.* 2. 16

Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia juſtus ex fide vivit. *Ibid.* 3. 11. Galat. 2. 16

Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem juſtitiæ exſpectamus. *Ibid.* 5. 5

Et inveniar (*ait Paulus*) in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu, &c. *Philip.* 3. 9

Ut juſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. *Tit.* 3. 7

Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. *1. Pet.* 3. 18

Formalis juſtificatio conſiſtit in juſtitia poſitiva intrinſeca.

SIcut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi. *Rom.* 5. 19. *Vide* v. 15. 16. 17. & Cap. 8. v. 11. & 30.

Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis &c. *1. Cor.* 6. 11

Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. *Epheſ.* 4. 23. Rom. 6. 4

Convivificavit cum illo (*ſ. vos cum Chriſto*) donans vobis omnia delicta &c. *Coloſſ.* 2. 13

Et omnis qui habet ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. *1. Joan.* 3. 3

Juſti-

Juſtificatio, qua quis ex juſto fit juſtior, adquiritur bonis operibus.

NOn impediaris orare ſemper, & ne verearis uſque ad mortem juſtificari; quoniam merces Dei manet in æternum. *Eccli.* 18. 22

Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. *Rom.* 2. 13

Abraham Pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? *Jac.* 2. 21. Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum? v. 24

Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, &c. *Apoc.* 22. 11

Juſtificatio impii non ſolum fidei adſcribitur, ſed etiam aliis virtutibus: ut ſpei.

ET adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos a peccatoribus, & ſalvabit eos: quia ſperaverunt in eo. *Pſal.* 36. 40

Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat? *Rom.* 8. 24

Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificet ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. *1. Jo:* 3. 3

Caritati attribuitur Juſtificatio.

ET ego ſum Dominus Deus tuus — *Exod.* 20. 2. faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Ibid. v. 5.

Odium ſuſcitat rixas: & univerſa delicta operit Caritas. *Prov.* 10. 12

Propter quod dico tibi (*ſcilicet quia non unxiſti caput meum oleo, ſicut Magdalena*) Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. *Luc.* 7. 47

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Joan.* 14. 23

Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. *1. Cor.* 13. 3

Nam in Chriſto Jeſu, neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per caritatem operatur. *Galat.* 5. 6

Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis Caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum. *1. Pet.* 4. 8

Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: Qui non diligit, manet in morte. *1. Joan.* 3. 14

Cariſſimi, diligamus nos invicem: quia caritas ex Deo eſt. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas eſt. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. *Ibid.* 4. 7

Timori adſcribitur.

TImor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis. *Prov.* 14. 27

Initium ſapientiæ timor Domini. *Pſal.* 110. 10. Prov. 1. 7. 9. 10. Eccli. 1. 16

Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. *Eccli.* 1. 27

Pœnitentiæ operibus.

SEd miſereris omnium (*ſcilicet Domine*) quia omnia potes: & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta, & fecerit judicium & juſtitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet. *Ezech.* 18. 21

Pœnitentiam agite (*dixit Joannes*): appropinquavit enim regnum cælorum. *Matth.* 3. 2

Ponitur exemplum Magdalenæ, cui dixit Jeſus: Remittuntur tibi peccata &c. *Luc.* 7. 48

Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. *Ibid.* 13. 3. Vide v. 5

Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. *2. Cor.* 7. 10. 1. Petr. 2. 10

Ponitur exemplum filii prodigi, Luc. 15. *& c.* 18. *ponitur exemplum Publicani.*

Venia inimicis danda.

SI autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. *Matt.* 6. 15

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Vide & v. 12

Non ſola fides juſtificat.

QUid proderit, fratres, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides ſalvare eum? *Jac.* 2. 14.

Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. *Ibid.* v. 17

Abraham Pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt? — *Ibid.* v. 21. *Ergo ex operibus fides conſummatur* v. 22.

Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo & non ex fide tantum? *Ibid.* v. 24

Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt. *Ib.* v. 26

TITU-